IN CHRISTI NOMINE

BARTHOLOMEVS BASSVS V·I·DOC· RAVENNEN· PRÆPOSITVS

Prothonotarius Apostolicus, ac Illustrissimi et Reverendissimi in CHRISTO patris et Domini D. ANTONII MARIAE GALLI tituli S. Agnetis in Agone S. R. E. Presbiteri Cardinalis Dei et Apostolicae sedis gratia Episcopi Perusini dignissimi, ac celeberrimi excelsi [illegible] huius Gymnasii [illegible] Apostolica, [illegible] in spiritualibus et temporalibus Vicarius Generalis, et ad omnia [illegible] Vniversis et singulis tam Clericis quam Laicis [illegible] praesentes litteras [illegible], ac praesens publicum gradus doctoratus in V. I. privilegium inspecturis, lecturis, et audituris salutem in eo, qui omnium est vera salus. A maioribus nostris sapientissime institutum fuit, ut homines principio rudes ac bonarum artium [illegible] expertes, si quod illorum proprium est aeterna, immortaliaque investigare ac cognoscere in animum induxissent amplissimis praemiis, ac monumentis perpetuae laudis gloriaeque, quae vere est ac germanum virtutis praemium afficerent. Quorandem qui spretis delitiis [illegible] pene ipsam in aliquo scientiarum genere adipiscendo consumpserit [illegible] studiorum radicibus dulces aliquando carpat fructus, aliique eorum exemplo ad similem gloriam alliciantur. [illegible] disciplina quaelibet bona, sit honesta, et laudabilis, illa tamen clara prae ceteris censeri debet quae maiori ornamento commodo [illegible] hominibus esse potest, cuiusmodi est Pontificii, Caesareique iuris prudentia, qua nihil aliquid praestantius, salubrius, [illegible] a Deo Optimo Maximo humano generi praestitum fuisse [illegible]. Quid si praesertim homines vagos in unum aliquem coetum coalvisse, et urbes fuisse conditas, nisi haec in primis Deum colere, Parentes venerari, suum cuique tribuere, virtutes alere, vitia coercere, populos regere, atque omnibus belli ac pacis artibus tueri docuisset, haec una est quae praedita tanto ceterarum artium ac disciplinarum [illegible] auctoribus praestantiores merito dici ac haberi possunt, quanto pulchrius ac praestantius commune Reipublicae bonum colere, quod haec spectat in primis quam singulorum. Quod quidem optime intelligens, Eruditus egregius, ac omni doctrinarum genere refertus Iuvenis MAGNIFICVS CAMILLVS DE NOVELLARIA Dioecesis Regien: Filius magnifici admodum et excellentissimi D. Petri Cola Farnetti d'Visso Dioecesis Spoletanae Omissis humanioribus litteris, quibus non mediocriter excultus erat hanc praestantissimam legalem scientiam in primis suscipere, ac admirari coepit deinde ad eam capescendam domestico, et exemplo magnopere excitatus, omnis sui studii atque animi adiecit. Unde relicta patria in florentissimum ac celeberrimum Gymnasium Perusinum se contulit, ubi in vim Indulti S. M. PII V. P. M. Nobis et Gymnasio praedicto concessi sub Dat. 13 Iunii 1567 quo conceditur, quod in eodem Gymnasio possint etiam clerici et Presbiteri utriusque gradus, absque alicuius irregularitatis, et alterius cuiuscumque poenae incursu, citra tamen patrocinandi, et iudicandi praeterquam in casibus a iure permissis promoveri facere, et ubi cum per plures annos actus scolasticos tam publice quam privatim gesserit conferendo, arguendo, disputando, respondendo in iure Can. et Civ. sua diligentia, cura, industria, labore, demumque omne in hoc collocasset, ut excellentissimis illis doctoribus quibus operam constituisset simillimus efficeretur ad id doctrinae divino favente numine evasit, ut ab omnibus qui potuit [illegible] dignissimus qui inter doctores cooptaretur, et annumeraretur fuit iudicatus. Quo circa die [illegible] Maii 1591. Nobis in aedibus nostrae solitae residentiae sedentibus per Mag. et Excell. V. I. D. [illegible] Nomine suo proprio et vice Excell. D. D. Ranaldi Ridolphini et Cornelii Benincasii et Valerii Arigutii civium Perusinorum, in Iuris Pontificii et Caesarei facultatibus respective promotorum praesentatus fuit pariterque promotus Noster Bartolomeus Bassus Vicarius antedictus ut supra sedentes praedicto Mag. Domino Camillo in V. I. die sequenti [illegible] nobis, et amplissimis Iuris consultorum Perusinorum collegio loco et hora solitis per ipsum recitanda assignari iussimus, pariter et assignamus [illegible] in Dec. Can. Neque [illegible] cap. Siegressus de Insurii et dam. dat. [illegible] Lege 2ª de Desen. ciu. [illegible] lege Si ante Sol. mat. Hodierno vero die idem Mag. et Eruditissimus coram nobis, et clarissimis Doctoribus eiusdem Amplissimi Collegii Perusini in primaria Aula magna domorum Archiepiscopalis S. Laurentii solemniter primitus nostro congregatis personaliter constitutus secretum, tremendum ac rigorosum examen ingressus puncta [illegible] memoriter, acute doctus ac nota scholastico quam doctoreo more ordine, et ornatu recitavit, ut nec a verbo, nec a syllaba, nec a puncto quidem penitus unquam exciderit, nodos ac difficiles textus Magistraliter inducendo declarando, solvendo conciliandoque, causas titulos ingeniosissime continuando, et subtiliter dividendo in summamque conferendo facti species fingendo, causas tum dubitandi tum decidendi aptissime afferendo, contextum ad litteram legendo, notabilia et axiomata acute eliciendo, glosas tum subtiliter quaerentes, tum fortiter opponentes expediendo, argumentis, dubiis, opponentibus quibuslibet sibi factis seriatim replicando, et subtiliter respondendo, ac clare et magistraliter solvendo, et alia quaelibet ita docte copiose eleganter et excellenter explicando, ut tam in Pontificio quam [illegible] Iure unanimiter, laudabiliter, solemniter pari voto, ac concordi totius Iuris consultorum ordinis consensu Et nemine penitus, atque penitus nemine inquam prorsus ac omnino discrepante, aut dissentiente, ac nec [illegible] quidem atque [illegible] salutari et favorabili littera posita, et singulos praefatos V. I. D. in eius favorem reddita nulla omnino Reprobatoria littera in contrarium reperta summa omnium laude et applausu fuit iure merito approbatus, Doctoralique laurea dignissimus indicatus, et per nos licentiatus et declaratus Quo circa nos Barthol. Bassus Vicarius antedictus ut supra sedentes praedicti Mag. D. Camilli doctrinam singularem, optimam vitae innocentiam, Patriae pariter, ac familiae nobilitatem, et reliqua [illegible] in doctorandis tam iure quam de consuetudine requiruntur attendentes et notis, et praefatorum Dominorum, quorum penitus nemo discrepavit libentissime in hoc annuentes Christi salvatoris, ac Domini nostri, eiusque Beatissimae Matris Mariae semper virginis nominibus invocatis Auctoritate Apostolica et Imperiali qua fungimur ordinaria, et nobis in hac parte concessa a praefato Ill.mo ac R.mo D. Cardinali et Episcopo Perusino, et huius almi, ac Florentissimi Gymnasii Cancellario optimo Habito prius processu ac debita informatione quantum nobis sufficere visum fuit super Fide Catholica, ac moribus supradicti Mag. D. Camilli [illegible] factaque per ipsum in manibus nostris palam [illegible] professione iuxta Bullam S. R. Sanctiss. D. PII. IIII super ordinatione, et promotione Doctorum [illegible] modum Ego Camillus praedictus firma fide credo, et profiteor omnia et singula quae continentur in Symbolo fidei quo S. R. E. utitur [illegible] CREDO in Deum patrem Omnipotentem factorem coeli et terrae visibilium omnium et invisibilium. Et in unum dominum Iesum Christum filium Dei unigenitum. Et ex patre natum ante omnia secula. Deum de Deo lumen de lumine Deum verum de Deo vero, Genitum non factum consubstantialem patri per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de Coelis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine et Homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in Coelum sedet ad dexteram patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos, et mortuos cuius regni non erit finis. Et in spiritum sanctum dominum, et vivificantem qui ex patre filioque procedit. Qui cum patre et filio simul adoratur et conglorificatur qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi seculi Amen. Apostolicas, et Ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem ecclesiae [illegible], et Constitutiones firmissime admitto, et amplector. Item sacram Scripturam iuxta eum sensum quem tenuit, et tenet S. M. E. Cuius est iudicare de vero sensu, et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam nisi iuxta unanimem consensum patrum accipiam, et interpretabor. Profiteor quoque septem esse vere et proprie sacramenta novae legis a Iesu Christo D. Nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium, illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum Confirmationem, et Ordinem sine Sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus in supradictorum omnium sacramentorum solemni administratione recipio, et admitto omnia, et singula quae de Peccato originali et de Iustificatione In Sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt amplector, et recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, et propitiatorium Sacrificium pro vivis et defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiae Sacramento vere et realiter et substantialiter corpus, et Sanguinem una cum anima, et divinitate D. N. IESV CHRISTI fierique conversionem totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae vini in sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia Transubstantiationem appellat. Fateor et sub altera tantum specie totum atque integrum CHRISTVM verumque Sacramentum sumi constanter teneo. Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuvari, similiter et sanctos una cum CHRISTO regnantes venerandos, atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas firmiter assero, Imagines CHRISTI, ac Deiparae semper virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas esse, et retinendas, atque eis debitum honorem, et venerationem impertiendam Indulgentiarum etiam potestatem a XPO in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam, et Apostolicam Romanam ecclesiam omnium ecclesiarum matrem, et magistram agnosco Romanoque Pontifici Beati Petri Apostolorum Principis successori, ac IESV CHRISTI Vicario veram obedientiam spondeo ac iuro. Cetera item omnia a sacris canonibus et Oecumenicis Conciliis, ac praecipue a sacrosancta Tridentina Synodo tradita, deffinita et declarata indubitanter recipio atque profiteor. Simulque contraria omnia, atque [illegible] quascumque ab Ecclesia damnatas, reiectas, et anathematizzatas, ego pariter damno, reiicio, et anathematizzo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti profiteor, et veraciter teneo eandem integram et immaculatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime Deo adiuvante retinere, et confiteri atque a meis subditis seu illis quorum cura ad me spectabit in munere meo [illegible] doceri, et praedicari quantum in me erit curaturum. Ego idem Camillus spondeo voveo, ac iuro, sic me Deus adiuvet, et haec Sancta Dei evangelia pronunciamus, decernimus, et declaramus praefatum Mag. D. Camillum uti meritissimum ac dignissimum in V. I. graduandum, doctorandum ac laureandum fore, et esse, ac in doctorem pariter et Magistrum creandum, et eligendum et ad Apicem seu Culmen doctoratus huiusmodi assumendum, promovendum, magistralique et doctorea dignitate atque [illegible] laurea decorandum, et aliorum Dominorum V. I. Doctorum ornatissimo et amplissimo [illegible] ordini aggregandum, prout nunc graduamus, doctoramus, laureamus, creamus, eligimus, assumimus, promovemus, decoramus, et aggregamus, dantes, et concedentes eidem Mag. Domino Camillo [illegible] nobis constituto omnimodam licentiam liberamque potestatem et auctoritatem Cathedram sive Sedem Magistralem sive Doctoralem ascendendi eamque regendi [illegible] publice legendi, interpretandi, glosandi, iudicandi, et de iure respondendi et quoscumque alios doctoreos, et magistrales actus hic Perusiae et ubique locorum, atque terrarum, gerendi faciendi et exercendi, mandantes, et committentes praefatis Excell. Dominis promotoribus, quatenus eidem Mag. D. Camillo V. I. D. omnia, et singula insignia Doctoratus, et Magisterii huiusmodi dent, et tribuant cum omni debita et requisita solemnitate ad laudem, et gloriam DEI Omnipotentis ipsiusque Mag. D. Camilli V. I. D. eiusque familiae et Patriae Splendorem et ornamentum quod felix faustumque sit ita dicimus pronunciamus declaramus et mandamus omni meliori modo etc. Post haec praefatus Mag. D. Camillus V. I. D. [illegible] creatus habuit elegantissimam et ornatissimam orationem qua petiit, et debita cum instantia postulavit sibi per antedictos Mag. et Ecc. Dominos Promotores suos [illegible] mandatum et Commissionem nostram Doctoratus Insignia solita et consueta imponi, concedi et exhiberi Quapropter Excell. D. Marcus Ant. Eugenius primus ex supradictis nostris promotoribus in Iure Can. huiusmodi petitioni annuens, nomine suo proprio, et vice, et nomine Excell. D. Valerii Arigutii, eius in Iure Can. Collega ibi praesentis, et deinde vice et nomine Excell. Dominorum Ranaldi Ridolphini, et Cornelii Benincasii in Iure Civili promotorum absentium dicta Doctoratus insignia laeta fronte hilari animo praehabita elegantissima [illegible] oratione in honorem et laudem praedicti Mag. D. Camilli V. I. D. eiusque nobilissimae patriae, et familiae, servatis, et adhibitis omnibus, et singulis omnibus aliis solemnitatibus in huiusmodi actibus solitis, et consuetis dicto Mag. D. Camillo Tamquam optime merito ac dignissimo V. I. D. Praesenti petenti et humiliter acceptanti, dedit, et contulit [illegible] primo Cathedram Magistralem, et doctoralem. Secundo librum clausum, et deinde apertum. Tertio ipsum aureo anulo dexterae manus immisso nomine praedictarum scientiarum Iuris can. et civil. desponsavit. Quarto pacis osculum. Quinto paternam, ac Magistralem benedictionem. Sexto et Ultimo Birretum seu Diadema tanquam sacrum sumendum et Capiti suo imponendum ut idem Mag. D. Camillus Doctor sic laureatus, et insignitus feliciter coronetur in Curia per eum qui Trinus, et unus regnat in secula seculorum. De et super quibus omnibus, et singulis mandavimus prout mandamus per praesentes per infrascriptum D. Marcum Torellum nostrum, et Episcopalis Curiae Notarium, et Cancellarium, et per nos ad huiusmodi specialiter deputatum publicum confici instrumentum in forma Privilegii redactum. Illudque Sigilli nostri maioris sive Episcopalis Curiae appensione muniri, et per eundem D. Marcum Torellum subscribi, registrari, et publicari. Data, acta, et gesta fuerunt haec Perusiae in praefata Aula D. Archipresbiteratus Ecclesiae Cathedralis Perusinae. Sub Anno a Nativitate Domini M D LXXXXI Indictione IIII. Tempore Pontificatus GREGORII Divina providentia PAPAE XIIII Anno eius Primo. Die vero XXV Maii. Hora solita, et consueta, praesentibus ibidem Dno Octaviano Aurelio, et Octaviano Pergentilis civibus Perusinis testibus ad praemissa vocatis, habitis, et rogatis, Astantibus ibidem et, et convenientibus pro maiori celebritate actus et honore ac decore praefati D. Camilli Ill.mis Dominis Alexandro, et Horatio Marchis D. Hieronymo Signorello Abb. et D. Nicolao V. SV. Mari et Aliis nobilibus, et scolaribus tam utriusque sapientiae quam universitatis studii Perusini.

Ego Marcus Torellus [illegible] publicus apostolica auctoritate notarius [illegible] omnibus et singulis [illegible] fui [illegible] subscripsi